

P R O O E M I V M

litus, (quod facile credi potest) edocuit, quia ille Armenios, & Scytas parumpost uniuersale diluuium instruxit, ut quid ab anni initio, & cardinibus eius per annum reliquum futurū esset decernerent, ob quam rem illum diuinæ mentis participem esse dixerunt. Sic pater ille multarum gentium Chaldæos, & Aegyptios æque doctos fecit. Nec minus & nos, per hanc (quam theologiam naturalem Petrus Cardinalis Cameracensis in libro Concordantiæ Astrologiæ cum Theologia, merito nuncupauit) dum syderum cursus emensi, atq; edocti fuerimus, agnito cœli situ, ac stellarū dispositione per interrogationis ascendens, siue per horam exitus infantis ex utero materno, perq; coniunctiones, & aspectus planetarum, atq; eclipses luminarium futura contingentia in hoc sæculo, non tamen necessitate absoluta, sed condicionata præuidere poterimus. Est namq; cœlum (quod Theologi quoque non inficiantur, ut Thomas de Vio Caietanus super psal. 104) uehiculum diuinæ uirtutis, quo mediante motu, & lumine densitatum, ac stellarum ipsius, tanquam secundis causis, Deus cuncta hæc inferiora, & elementaria corpora ordinat, atq; disponit. Ex quo uultus huius sæculi subiecti sunt lat'ionibus superioribus, ut omnis huiusce mundi uirtus inde gubernetur, ut Philosophus, & Astrologus æque attestantur. Vnde agnita cœli dispositione, futura mundi contingentia facile admodum erit præcognoscere. Cum namq; Deus cœlum sicut pellem extenderet, formans uniuersitatis librum. Futura quoq; accidentia, quæ uim naturæ minime excedunt, in eodem mirifice descripsit. Vnde cœli enarrāt gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Et Deus fecit luminaria magna, ut ultra temporum diuisionem, essent nobis in signa uidelicet futuræ pestilentia, belli, penuriæ, pacis, & abundantia, ac cæterorum naturalium euentuum. nec eis causalitatem attribuit Moses legislator, ne Iudæi simplices à ueri Dei cultu deuiarent, quod expositorum aliqui minime tacuerunt, ut Alphonfus Episcopus Abulensis, (neq; enim hoc de signis cœlestibus intelligi potuit, quum non luminaria, sed stellæ cœlo affixæ signa eiusdem efficiant.) Noluit quoq; & filius dei unigenitus tanquã uerus homo libri æternitatis eius dē literis deesse, ut ea quæ hominis sunt, uelut natiuitas, mortis aculeus, & alia plurima per figurā cœli significarentur, quæ tamen uim humanæ naturæ minime excedunt nō ea quæ soli potestati diuinæ mere ac libere subsunt. Non quòd figura cœli causa esset quòd Christus nasceretur, sicuti neq; oracula prophetarū causa fuere, quòd Iesus pateretur, Sed potius (ut inquit Albertus in speculo) significatio fuerat; Immo & uero uerius ipse erat causa quare modus admirandæ suæ natiuitatis per cœlum significaretur. Verum nos ne contra catholicorum dicta, ac diuinam legem, contraq; ueram ac naturalem Astronomiam in pronosticandis futuris in hoc sæculo contingat sæpius aberrare, tria nosce oportet futurorum euentuum genera, Quorum aliqua sunt primum, quæ habent causam determinatam, & infallibilem, ut